

Concilii Tridentini Decreto constitutum et sancitum est ut omnes qui in Synodo Diœcesana convenire debent, in ea Synodo quæ primo quoque tempore celebrabitur, omnia et singula à Tridentinis Patribus definita et statuta palam recipiant, veram obedientiam Summo Pontifici Romano spondeant, simulque hæreses omnes publice detestentur et anathematizent. Ideo nos, N. N., hujus Synodi Promotores ab Illustrissima ac Reverendissima Amplitudine Vestra petimus, in hac Synodo Diœcesana, omnia ab iis qui tenentur, juxta Tridentinam sanctionem, præstari.

Tunc Secretarius legit Decretum *de Professione Fidei* nec non formulam ejusdem Professionis, quam omnes Fidem professuri totidem verbis simul repetant. Qua absoluta, bini, terni, vel quaterni ad Episcopum accedent et coram eo genuflexi, super exposita Sacrosancta Evangelia iusjurandum singulatim in hunc modum proferent :

Ego idem N. N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

FORMA PROFESSIONIS

FIDEI CATHOLICÆ, APOSTOLICÆ ET ROMANÆ.

Ego N. . . firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur ; videlicet,

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine ; et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos ; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivifi-